

Porro in expositione hujus causæ solet plerumque ipsum impedimentum ante causam poni, et sic aliquoties alius esse modus proponendi. Hinc integram supplicationem ex hac utpote sæpius redeunte causa proponam.

Si itaque præcedit copula scienter sine spe facilius consequendi dispensationem, ita supplicatur.

« Beatissime Pater,

« Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius oratorum Petr. N. laici, et Lucæ N. diocesis Ratisbonensis, quod ipsis alias scientibus, se tertio consanguinitatis gradu a communi stipite proveniente invicem esse conjunctos, orator prædictus, non quidem data opera, ut crimine admissio hæc causa foret Sanctitatem Vestram, et Sedem Apostolicam ad misericordiam et gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solum vesana libidine victus oratricem carnaliter cognovit. Cum autem, Pater Sancte nisi matrimonium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, et innupta remaneret, graviusque exinde scandala possent oriri. Cupiunt præfati oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ dispensatione. Supplicatur, etc. »

Si scienter præcessit copula cum spe facilius obtinendi dispensationem, ita supplicatur.

261. *Copula scienter habita si pro causa proponatur, quomodo exprimenda?*

« Beatissime Pater,

« Exponitur, etc., ut (supra), quod ipsis alias scientibus se secundo consanguinitatis gradu esse conjunctos, sub spe facilius obtinendi a sanctitate vestra dispensationem carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt. (Si tantum una pars sub tali spe peccasset, altera vero v. g., oratrix non proponitur, uti res se habet v. g. præfatus orator sub spe, etc. oratricem, nullam spem habentem, sanctitatem vestram, et sedem apostolicam ad misericordiam et gratiam erga eam faciliores reddendi carnaliter cognovit.) Cum autem, Pater sancte, nisi matri-

monium inter dictos oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, et innupta maneret, graviusque inde scandala possent oriri, simulque utrique parti periculum vitæ immineret. Cupiunt, etc. »

262. *Quando pro dispensatione in secundo gradu supplicant ignobiles, addunt, imminere periculum vitæ.* — Nota, quod, quando oratores non nobiles sollicitant pro dispensatione super secundo consanguinitatis, vel primo, aut secundo affinitatis gradu, debeant juxta dicta n. 122. et alibi, allegare etiam periculum vitæ, præsertim si sub spe facilius obtinendi dispensationem peccarunt.

Si copula ignoranter fuit habita, supplicatur taliter.

263. *Copula ignoranter habita quomodo exprimitur?*

« Beatissime Pater,

« Exponitur, etc., (ut supra num. 260.) quod ipsi, alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent matrimonialiter copulari, carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt. Postmodum vero ad eorum devenit notitiam se secundo, et tertio consanguinitatis gradu esse conjunctos. Cum autem, Pater sancte, nisi matrimonium, » etc., ut supra num. 260.

Praxis rite proponendi causam n. 59. allegatam, quæ est infamia mulieris ex suspitione, etsi falsa, de copula ob suspectam conversationem.

264. *Matrimonium scienter contractum sine spe facilius obtinendi dispensationem pro causa quomodo proponatur?* — Expositis nominibus oratorum et diocesis ita dicitur: « quod ipsi, alias scientes se tertio v. g. consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem data opera, etc. ut supra nu. 260, in simul conversati sunt; seque (si oscula intervenerint) deosculati sunt, carnali tamen copula inter eos minime subsecuta. Et nihilominus orta est suspicio, licet falsa, quod ipsi oratores carnaliter se cognoverint. Cum autem, Pater sancte, præmissa publica existant, et nisi matrimonium inter eos contrahatur, dicta oratrix graviter diffamata, et innupta remaneret, graviusque exinde scandala possent oriri. Cupiunt, » etc. ut supra n. 260.

Praxis rite proponendi causam n. 97. allegatam, quæ est matrimonium jam contractum.

265. *Et quomodo si cum spe facilius obtinendi fuit contractum?* — Sicut supra de copula diximus, potest etiam matrimonium scienter vel ignoranter, seu bona, vel mala fide inter impeditos contrahi: idque vel cum, vel sine ipse facilius obtinendi dispensationem, in facie Ecclesiæ, vel clandestine, potestque postea matrimonium consummari, vel non, quæ omnia debent exprimi. Si scienter contrahitur et consummatur absque spe facilius obtinendi dispensationem.

« Exponitur humiliter, etc. (ut supra num. 260.) quod ipsi, alias scientes se quarto consanguinitatis gradu conjunctos, orator præfatus non quidem data opera, etc., (ut supra num. 260.) Matrimonium inter se de præsentem in facie Ecclesiæ, vel clandestine, et de facto contraxerunt, ac consummarunt. Cum autem, Pater sancte, oratores præfati in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque sedis prædictæ dispensatione, et si divortium inter eos fieret, gravia inde scandala possent verosimiliter exoriri. Supplicatur igitur, etc. »

Si scienter cum spe facilius obtinendi dispensationem unius vel utriusque fuit contractum, eodem modo supplicatur, excepto quod loco verborum: Non quidem data opera, etc. ponantur verba: Sub spe facilius, etc. ut supra n. 261.

Si ignoranter et bona fide ex parte utriusque fuit contractum, ita supplicatur.

266. *Quomodo, si ignoranter et bona fide fuit contractum?* — Exponitur, etc., ut supra num. 260. quod ipsi, alias ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quominus possent invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se per verba de præsentem publice, factis denuntiationibus in eorum ecclesia parochiali (vel si has omiserunt, omissis tamen denuntiationibus) juxta formam concilii Trident. nulloque detecto, vel denunciato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizarunt, et copula carnali consummarunt. Postmodum vero ad eorum pervenit notitiam, eos tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; propter quod a carnali copula abstinerunt (si perrexissent in copula exprimi et dici deberet): et nihilominus in eadem copula carnali perstiterunt. Cum autem, Pater sancte, etc. ut supra n. 264. Supplicatur igitur, etc. »

Si tantum una pars ignoranter, altera vero scienter et mala fide contraxit, et de hoc

nemo quid scit, supplicatur sacræ poenitentiarie, ut infra § IX.

Praxis rite proponendi causam numer. 98. allegatam, quæ est generalis ex certis rationabilibus causis.

Notandum, quod quidem circa hanc causam soleat explicari qualitas, oratores de honestis familiis aut nobiles existere, de eorum tamen executores pro verificatione indagare non debeant, nec possint juxta num. 98. Cæterum proponitur hæc causa taliter, nempe explicatis nominibus oratorum et diocesis, dicitur: « Qui ipsi ex honestis familiis vel nobiles existunt ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupiunt, etc. »

267. *Expressa causa exponitur obstante impedimentum.* — Queritur V. Quo modo in praxi proponantur ipsa impedimenta? Resp. Rite expressa dispensationis causa, et patefacto desiderio ineundi invicem matrimonium, exprimitur in specie obstante inter eos impedimentum, *Sed quia*, etc. Excepto casu, quo ob copulam vel jam contractum matrimonium, petitur dispensatio: quia tunc paulo aliter fit expressio impedimenti, et causæ juxta dicta dicta a num. 260. Cæterum ut quivis rite et commode exprimere impedimentum valeat, subjungitur quoque praxis rite exprimiendi quodvis impedimentum, super quo Papa pro foro externo dispensare potest, et solet.

Praxis proponendi impedimentum consanguinitatis.

268. *Formula exprimiendi impedimentum consanguinitatis gradu æquali.* — « Sed quia in secundo, vel quarto consanguinitatis gradu conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque sedis apostolicæ dispensatione. Supplicatur igitur, etc. »

269. *Et in gradu inæquali.* — Si inæqualiter distant a communi stipite, etiam propinquus gradus debet omnino exprimi, præcipue si sit primus ob dicta supra a num. 166. v. g. « Sed quia in primo et secundo, vel in primo et tertio, vel primo et quarto, vel secundo et tertio, vel secundo et quarto, vel tertio et quarto a communi stipite provenientes consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium suum, etc. ut supra num. præced. »

270. *Quando concurrat cum remoto primus gradus, debet etiam provenientia explicari, et quando?* — Ubi tamen notandum, quod si cum secundo vel tertio concurrat primus,

non sufficiat simpliciter asserere, eos esse in primo et secundo v. g. vel in primo et tertio, sed debeat etiam addi provenientia, seu distincte declarari, qualiter sint in his gradibus dicendo v. g. « Sed quia sunt conjuncti in primo et secundo consanguinitatis gradibus ex communi stipite, et ex eo provenientibus, quia orator est patruus, vel avunculus oratricis: vel quia oratrix est matertera, vel amita oratoris: vel quia sunt in primo et tertio consanguinitatis gradibus ex communi stipite, et ex eo provenientibus, quod orator sit patruus magnus, vel avunculus magnus oratricis; vel quod oratrix sit amita, vel matertera magna oratoris, etc. » Corrad., cit., lib. VII, cap. III, a n. 22.

271. *Quando duplici vinculo sunt conjuncti, exprimi debet.* — Quod, si duplici consanguinitatis et affinitatis vinculo simul conjuncti sunt, fideliter quoque exprimi debet de quo ad longum vide practicam expressionem apud Corrad., lib. VII, cap. VI, a n. 62.

Praxis exponendi impedimentum affinitatis.

272. *Formula exprimi affinitatis impedimentum.* — Hoc impedimentum eodem fere modo, quo consanguinitas proponitur, addito tamen, an ex licita vel illicita copula oriatur affinitas, casu quo super primo vel secundo gradu petitur dispensatio juxta dicta n. 196. Item an affinitas sit in linea recta, vel transversali: debet etiam adverti, quod loco verborum invicem conjuncti sunt, adhiberi debeant verba attinent uti bene advertunt Corrad., Justis, et alii practici curiales.

Putat autem Corrad. esse quoque addendam provenientiam primi, vel primi et secundi gradus, etiam quando ex copula illicita orta est v. g. « Sed quia primo affinitatis gradu se attinent, ex eo proveniente, quod orator matrem vel sororem adhuc superstitem (si enim adhuc est in vita, etiam explicari debet) carnaliter cognovit, etc. Vel si ex copula licita est: Sed quia primo affinitatis gradu se attinent ex eo proveniente, quod orator prius uxorem habuerit matrem, vel sororem oratricis: vel sed quia primo et secundo affinitatis gradibus se attinent ex eo provenientibus, quod orator prius uxorem habuerit materteram oratricis, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Supplicant igitur, etc. »

In remotioribus gradibus v. g. tertio, vel secundo et tertio, vel tertio et quarto non amplius est necesse addere provenientiam juxta dicta.

Praxis rite exprimi impedimentum publicæ honestatis.

273. *Formula exprimi impedimentum publicæ honestatis.* — Circa hoc debet exprimi provenientia, ut Papa intelligat, an ex matrimonio rato non consummato, vel potius ex solis sponsalibus de futuro proveniat; solet etiam addi in honestate ex sponsalibus de futuro, quod sponsus vel sponsa carnaliter non fuerit cognita v. g. « Sed quia alias dictus orator sponsalia per verba de futuro cum oratricis sorore, vel matre adhuc superstite, vel ad præsens defuncta contraxit, quæ quidem oratricis soror, vel mater ab eodem oratore intacta remansit, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Supplicant igitur, etc. »

Praxis rite exprimi impedimentum cognationis spiritualis.

274. *Praxis rite proponendi impedimentum cognationis spiritualis.* — Circa hoc quoque impedimentum debet exprimi provenientia, ut Papa videre valeat, an sit filiatio vel paternitas spiritualis juxta n. 200. v. g. « Sed quia alias dictus orator ipsam oratricem, vel prolem oratricis e sacro fonte levavit, vel in confirmatione tenuit, desiderium suum, etc. » Si est duplex cognatio spiritualis, pariter exprimi debet juxta dicta num. 201. v. g. « Sed quia oratrix prolem oratoris, et e contra orator prolem oratricis in confirmatione tenuit, vel e sacro fonte levavit, desiderium suum, etc. vel sed quia orator prolem oratricis unam tenuit in confirmatione, alteram e sacro fonte levavit, desiderium suum, etc. »

Praxis rite exprimi impedimentum criminis.

275. *Formula rite proponendi impedimentum criminis.* — Circa hoc impedimentum debet exprimi, quod neutro machinante in mortem existat; alterutro siquidem et a fortiori, utroque machinante nunquam dispensatur pro foro externo, bene tamen interno juxta dicta n. 138 et 139. Notandum insuper, quod, dum petitur dispensatio super hoc impedimento. Illud ante causam dispensationis exprimi soleat: de quo ut magis pateat integram supplicationem pro dispensatione super hoc crimine adducimus v. g.

« Beatissime Pater,

« Exponitur humiliter sanctitati vestræ pro parte devotorum illius oratorum M. et N. diocesis N. Quod alias constante matri-

monio inter ipsa... prædefunctum, oratores ipsi carnis ingratitate devicti, data sibi invicem fide de matrimonio inter se, post obitum oratricis viri præfati contrahendo se carnaliter cognoverunt. Postmodum vero oratricis vir prædictus (neutro tamen eorum in ejus mortem machinante) sicut Domino placuit, ab humanis decessit. Cum autem, Pater sancte, nisi matrimonium prædictum inter dictos oratores contraheretur, dicta oratrix diffamata, et inupta remaneret; graviorque exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Cupiunt oratores prædicti matrimonialiter copulari, sed stante impedimento, etc. Supplicant igitur humiliter E. S. V., etc. quatenus cum eisdem oratoribus, quod impedimento ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publice, etc. dispensare, prolemque susceptam post obitum viri prædicti, si qua sit, et suscipiendam exinde legitimam decernendo, dignemini de gratia speciali. Non obstantibus præmissis, etc. »

Praxis rite proponendi impedimentum voti.

276. *Formula rite proponendi impedimentum voti et ordinis sacri.* — Votum aliud est solemne, aliud simplex: illud est dirimens, hoc vero impediens solummodo impedimentum per dicta superius. Utrumque si publicum est, proposita prius dispensandi causa, sequenti modo exprimi potest.

« Sed quia orator præfatus in religione ordinis sancti Dominici professus, et sacerdos; vel sed quia sacro diaconatus, vel presbyteratus ordine initiatus, in nulla tamen religione professus existit. » Vel si votum simplex habet: « Sed quia simplex votum castitatis emisit; desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque sedis apostolicæ dispensatione. Supplicant igitur, etc. »

Si votum est occultum, dispensatur super eo in pœnitentiaria juxta dicenda infra § IX. Et si non est perfectum, vel non absolutum, vel non perpetuum, dispensant regulares juxta dicta lib. III, tit. XXXIV.

277. *Formula expressis exprimi dispensationem, et claudendi supplicationem ordinariæ.* — Queritur VI. Qualiter in praxi fiat petitio pro dispensatione, et quomodo finiatur supplicatio? Resp. Expressis in supplicatione causa, et desiderio dispen-

sationis, necnon impedimento, super quo dispensatio est necessaria, supplicant humiliter oratores, ut cum ipsis super allegato impedimento non obstantibus quibuscunque dispensare, et prolem suscipiendam legitimam declarare dignetur, sit autem talis petitio, modo sequenti.

« Supplicant igitur humiliter sanctitati vestræ oratores præfati, quatenus cum ipsis, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, » si est aliud impedimentum prius in supplicatione allegatum, hic pariter allegatur, v. g. « quod impedimento primi gradus publicæ honestatis ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante; vel quod impedimento cognationis spiritualis ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante; vel quod impedimento criminis ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante; » et sic de aliis impedimentis; « matrimonium inter se publice servata forma concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare et in eo postmodum remanere libere ac licite valeant, dispensare, prolemque suscipiendam exinde legitimam decernendo dignemini de gratia speciali: non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis. »

278. *Formula petendi, et claudendi supplicationem, si consanguinitas, vel affinitas est in gradibus inæqualibus.* — Quando supplicatur pro dispensatione super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis in gradibus v. g. tertio et quarto, uti in copia, n. 240, allegata, fit primo humilis petitio pro dispensatione super remotiori gradu, et dein pro declaratione, propinquiorem non obstare tali modo. « Supplicant igitur humiliter oratores præfati, quatenus cum ipsis, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, etc., ut supra num. præced. dispensare, distantiam vero tertii gradus prædicti non obstare, declarare, prolem, etc., ut supra, dignemini, ut supra num. præced. »

279. *Vel si petitur dispensatio ob copulam, vel contractum jam matrimonium.* — Si autem supplicatur pro dispensatione super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis, vel cognationis spiritualis, casu quo sciatur, vel ignoranter præcessit incestuosa copula, vel matrimonium jam fuit contractum sive bona sive mala fide, rogant oratores prius

pro absolutione ab excommunicatione, et aliis, dein primum pro dispensatione tali modo præmissis nempe præmittendis ut supra ponitur: « Supplicanti igitur humiliter sanctitati vestræ oratores præfati quatenus eos ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrerunt, incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere, ac cum eisdem oratoribus, quod impedimento quarti consanguinitatis gradus hujusmodi non obstante, etc. » ut supra, n. 277.

280. Quod, si una pars v. g., vir cum spe facilius consequendi dispensationem copulam habuit, vel matrimonium inique contraxit, rogatur pro absolutione taliter: « Supplicanti igitur humiliter oratores præfati, quatenus oratorem a generali, oratricem vero ab excommunicationis sententia, etc. » ut supra num. præced., ut videre est apud Corrad., lib. VIII, cap. I, num. 26.

281. *Supplicatio rite concepta per quos, et quomodo Romam dirigi possit?* — Quæritur VII. Per quos? Ad quos? quo modo? et quando Romam dirigi? ac ubi ibidem tradi debeat supplicatio pro obtinenda dispensatione matrimoniali? Resp. I. Si supplicatio juxta stylum curiæ est rite concepta, potest variis viis et mediis dirigi Romam. Præsentissima et securissima via est recurrere ad reverend. ordinarium, vel ejus Vicarium generalem, aut concilium ecclesiasticum, vel practicum consiliarium, aut secretarium ejusdem, rogando, ut supplicationem Romam dirigere, et per reverend. ordinarii agentem (quavis enim episcopus Roma longe distans agentem ibidem habere solet) supplicationem in loco debito porrigere, atque dispensationis litteras, earumque expeditionem urgere dignetur.

282. Quod, si quis ob rationes sibi notas hac via incedere nolit, potest per se ipsum, vel per tertium alium media posta ordinaria supplicationem rite conceptam mittere Romam ad aliquem agentem vel episcopi, vel principis territorialis, vel ad procuratorem generalem alicujus ordinis per Religiosum talis ordinis, vel ad alium notum bonum amicum ibidem existentem, rogando, ut eam in loco debito porrigere, et expeditionem urgere dignetur, addere tamen debet, quod taxam consuetam non tantum solvere, sed labores quoque sollicitatoris realiter recognoscere velit.

283. *Observantia practica.* — Notandum

etiam hic, quod domini Itali et Germani, nisi sufficientem de necessaria solutione habeant assecurationem, aut personam alias satis notam, cui fidere possint, non facile credant, ac propterea nec quid laboretur ibidem, nec obtineatur pro foro externo. Neque id eis vitio vertendum, ob plures fraudes ex parte oratorum jam commissas, et facile adhuc committendas.

284. Notandum ulterius, quod procuratores generales ordinum non libenter suscipiant manus procurandi dispensationes matrimoniales pro foro externo, nisi concernant præcipuos benefactores ordinis, et necessaria solutio taxæ per cambium, et alia via certe ac secure ira ordinetur, ut semper ad manus haberi possit: idque procedit præcipue in procuratore generali ordinis nostri Seraphici, utpote qui negotia ordinem non concernentia illibentissime suscipit.

285. *Si copula incestuosa præcessit, expedit mature petere dispensationem et quare?* — Resp. II. Si petitur dispensatio ob copulam ex imprægnatione palam futuram, summe expedit, ut mature, et antequam ad judicem sæcularem causa incestus deducatur, dispensatio Romæ sollicitetur, præsertim si incestus esset cum consanguinea in secundo, vel cum affine in primo, aut secundo gradu ob rationem infra allegandam, num. 346.

286. *Ubi Romæ offerri debeat supplicatio?* — Resp. III. Romæ debet supplicatio offerri vel in dataria, vel cancellaria, vel præfectura brevium pro diversitate nempe graduum, quibus oratores sunt conjuncti juxta dicta n. 232, quod practici Romæ existentes optime norunt.

287. *Compendiosa recapitulatio hactenus dictorum.* — Quæritur VIII. Quomodo hactenus dicta compendiose sciri et pro rite formanda supplicatione in praxi applicari valeant? Resp. Sequenti modo. Ante omnia videri debet, an adsit justa aliqua ex recensitis a num. 69, rationabilis causa, ob quam Papa dispensare super impedimento obstante potest et solet. Habita causa fiat supplicatio modo hactenus allegato; videlicet primo fit initium, et exprimitur nomen ac cognomen utriusque oratoris juxta dicta n. 241 et 242. Secundo exprimitur nomen diocesis, et (si ob angustiam loci petitur dispensatio) etiam loci oratricis juxta dicta num. 243. Tertio statim subjungitur dispensandi causa, et desiderium matrimonium ineundi juxta dicta num. 244 et 245, ac seqq. Quarto

exprimitur in fine, et juxta dicta numer. 267 et seqq. tamen circa expressionem causæ, et impedimenti, quod si ob præcedentem copulam, vel jam contractum matrimonium petatur dispensatio, paulo taliter proponatur ac exprimat causa dispensandi, nam impedimentum tunc ponitur ante causam, juxta formulas a n. 260 et seqq. Quinto, expressis præfatis cunctis, fit ipsa petitio pro dispensatione juxta dicta a n. 277, etsi oratores inæquali gradu distant, pro declaratione juxta dicta n. 278. Necnon pro absolutione, casu quo copula incestuosa præcessit, vel matrimonium jam fuit contractum.

288. *Alia praxis procurandi dispensationem cuius quadrans.* — Quæritur IX. Quid faciendum illi, qui hactenus quantumvis clare et practice dicta non satis penetrat, vel sufficienter legendi, et rite applicandi tempus non habet, aut sibi ipsi non fidens securius procedere cupit? Resp. Talem, imo et quemvis alium optime facere, et securissime procedere, si necessariò exprimenda breviter exprimit videlicet 1. Nomen et cognomen utriusque oratoris contrahere volentis. 2. Speciem, et gradum impedimenti addendo etiam propinquum, si inæquali gradu distant; ac copulam si præhabita est cum, vel sine spe facilius obtinendi dispensationem. 3. Si matrimonium jam est contractum, an bona vel mala fide, præmissis denuntiationibus, vel sine illis sub spe facilius consequendi matrimonium, vel sine tali spe, et tandem exprimat causam dispensationis. Casum sic expressum mittat ad reverend. ordinarium, vel ad aliquem Romæ jam existentem ex dictis nu. 282, rogando, ut dispensationem juxta stylum curiæ apud sedem apostolicam procurare dignetur pro oratoribus paratis ad solvendam taxam consuetam. Habito siquidem casu rite explicato, tali Romæ existens bonus amicus, vel agens supplicationem juxta stylum curiæ vel ipsemet faciet, vel per alium peritum Romæ fieri curabit, et in loco debito porriget, expeditionem urgebit, et impetratas dispensationis litteras ad oratores diriget.

289. Sit v. g. Parochus aliquis potest casum venientium ad se parochianorum, dispensationem super impedimento desiderantium breviter et ruditer statim ita proponere v. g.

Petrus N., laicus, et Anna N., diocesis Frisingensis, vel quorum prior Frisingensis,

hæc vero Ratisbonensis diocesis est, cupiunt matrimonialiter copulari; quia vero laborant impedimento consanguinitatis in tertio et quarto gradu, rogant humillime, et ego cum ipsis, dignetur reverend. dominatio sua, etc., pro eis dispensationis juxta stylum curiæ in forma ordinaria procurare. Causa dispensationis allegari potest copula ob imprægnatam oratricem jam publica, quæ tamen absque spe facilius consequendæ dispensationis fuit habita. Si potest etiam alia causa adduci, si adest v. g., pro causa dispensandi servit incompetens dos oratricis. Taxam consuetam, et alias expensas cum gratiarum actione, et debita recognitione exacte solvent, etc.

290. Quod si in forma pauperum desideraretur dispensatio, observanda erunt dicenda infra § VIII.

§ VII.

DE FORMULIS LITTERARUM APOSTOLICARUM, QUIBUS ROMÆ DEMANDATUR DISPENSATIO PRO FORO EXTERNO PER EXECUTOREM FACIENDA: ET DE EXECUTORE, ATQUE EXECUTIONEM EARUMDEM LITTERARUM; NECNON DE QUIBUSDAM PREFATARUM LITTERARUM CLAUSULIS OBSERVANDIS, ET VERIFICANDIS.

291. *Romæ actu non dispensatur, sed datur tantum mandatum dispensandi rescriptum in forma gratiosa, et in forma dignum, quid?* — Quæritur I. Quomodo? et in qua forma ad præviam supplicationem Romæ dentur, et expédiantur pro foro externo dispensatio, seu potius litteræ apostolicæ pro dispensatione super impedimentis matrimonii? Resp. I. Quamvis præfata litteræ communiter vocari soleant dispensatio pontificia, vel litteræ dispensationis pontificiæ, tamen veram dispensationem actualem non continent; eo quod juxta modernum stylum non amplius concedantur, ut olim in forma gratiosa (qua Papa ipsemet actu dispensat) sed in forma commissaria, qua Papa alteri, præcipue vero oratorum ordinario mandat, ut litteras præfatas exequatur, et auctoritate apostolica actu dispenset, si preces veritate nitantur, et consequenter oratores dignos repererit dispensatione. Corrad. cum communi aliorum. Estque notorius stylus curiæ.

Ut autem magis pateat, exhibentur hic per extensum formulæ litterarum apostolicarum